

/ Admodum Reverende Pater. Ex litteris Reverentiae Vestrae datis
14. Martii non potui aperte colligere, quis sit ille domesticus meus,
de quo R.V. loquitur, neque ab illo, sed a Patre Assistente Episto-
lam vestram accepi. Laudo, quod Reverentia Vestra, omissa scriptio-
5 ne, ad lectionem, et contemplationem animum revocaverit: vix enim po-
test hoc tempore aliquid scribi, quod non pateat calumniis vel hos-
tium, vel amicorum. Reverentia Vestra satis multa jam scripsit non
solum Theologica, sed etiam legalia, et, ut audio, etiam medica, ut
nomen vestrum, quod ante constitutionem Mundi scriptum fuit in Coe-
10 lo, extet etiam scriptum satis luculenter in terris. Idem ego facio:
tempus enim, quod mihi superest ab occupationibus externis, quae ni-
mis molestae, et frequentissimae sunt; in meditandis Epistolis~~is~~ Apos-
tolicis, quae leguntur ad Missam, consumo: et quamvis meditationes
illae stylo alligem, ne pereant; non tamen vulgare constitui. Quod
15 attinet ad quaerimoniam circa doctrinam; sciat Reverentia Vestra,
partem adversam non minoribus clamoribus conqueri, quod doctrina Pe-
lagiana publice doceatur, et suadeatur contra Apostolum, contra S.
Augustinum, contra Sanctum Thomam, contra majorem partem Episcopo-
rum hujus aetatis: quae causa fuit, ut Apostolica Sedes noluerit t
20 typis mandari ~~malibros~~ nuper conscriptos a duobus Hispanis Ordinis

Neque ego censeo remedium his malis posse adferri, nisi per
Concilium Generale, si Deo placeret nostris temporibus congregari.
Ego, quia septuagesimum annum aetatis excessi, non longe abesse pos-
sum a transmigratione in aliam regionem: ideo Reverentiam Vestram
25 ex animo precor, ut transmigrationem meam Domino precibus suis com-
mendet. Vale Pater optime, et amantissime. Romae die 11. Maji 1614.